

duo sunt impedimenta actionum humanarum scilicet noluntas et inpotentia. ¶ Est autem quadruplex voluntas, videlicet voluntas extorta, tracta, ducta et allecta. Voluntas extorta est que vult rem fieri non ratione boni cogniti et appetiti sed ratione evasionis mali. Voluntas tracta est que vult rem fieri non ratione proprie inventionis vel spontanee assensionis sed ratione violente probationis contrarii eius quod appetitur. Voluntas ducta est que cum ex se et per se nec hoc velit nec contrarium, probatione inducitur ad volendum hoc magis quam illud. Voluntas allecta est que propter unum a se volitum et appetitum vult per consequens aliud tamquam huic adminiculans vel adherens.

¶ Aristotiles in politicis dicit quod ordinatio populi dependet precipue ex magno^{g)} principatu¹²³. ¶ Item Plato dicit quod optimi est optima adducere qualiter in re publica princeps facere debet¹²⁴. ¶ Item dominus in Evangelio: Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur etc., ergo unitum confortabitur¹²⁵. ¶ Item sicut sacerdotes instituuntur in hiis que ad deum pertinent ut dicit Apostolus ad hebreos v°, ita et principes constituuntur ad utilitatem rei publice in hiis que pertinent ad res humanas¹²⁶. ¶ Item sicut regnum est optimum regimen, ita et tyrannis est pessima corruptio regiminis. Optimum enim contrariatur pessimo¹²⁷.

¶ Item circa bonam ordinationem principum duo considerantur. Unum est ut omnes habeant partem aliquam in principatu¹²⁸, quia omnes talem ordinationem principatus amant et custodiunt et hoc est in hiis principat[ib]us qui constituuntur per electionem populi. Omnes enim in tali principatu partem habent, quia omnes eligunt et de omnibus eliguntur sive voce occulta vel manifesta sive sorte fiat electio, sorte proposita inter aliquos a plebe communiter nominatos ut dicitur in secundo politice¹²⁹. Aliud est quod adten-

g) Thomas: maximo.

123) Vgl. Pol. III, 6 (1278b 8); Sth I-II, 105, 1 arg. prim. (ed. LEONINA [1892] 7, S. 262).

124) Vgl. Tim. 29a, 29e u. 30b; Sth I-II, 105, 1, arg. sec. (S. 262).

125) Matth. 12, 25; Sth I-II, 105, 1, arg. tert. (S. 262).

126) Hebr. 5, 1; Sth I-II, 105, 1, arg. quart. (S. 262).

127) Sth I-II, 105, 1, arg. quint. (S. 262).

128) Videtur enim minus odiosa esse aliis politiis, eo quod omnes habent partem aliquam in tali regimine. ERP I, c. 16 (S. 37).

129) Vgl. Pol. II, 1 (1260b 37-1261a 3) u. II, 9 (1270b 18).